

No. 630. 1373. 9. Aug.

B. Conrad trifft mit dem Capitel einen Tausch, indem er den jüngst dem Hochstift geschenkten Weinberg gen. Schrammenberg für das bischöfl. Tafelgut übernimmt und dagegen Geldzinsen von gleichem Werthe in zwei Ortschaften zu den geordneten Stiftungen abgibt.

In Christi nomine amen. Nos Conradus dei et apostolicae sedis gratia ecclesiae Myssnensis episcopus — recognoscimus publice profitentes, quod nos una cum venerabilibus viris dominis . . praeposito, . . decano et capitulo ecclesiae nostrae Misnensis capitulariter congregatis pensata diligentius et considerata notabili mensae nostrae episcopalis ac fabricae ecclesiae nostrae praedictae utilitate ex certa scientia et voluntate benivola omnium quorum interest, prae habito super huiusmodi tractatu maturiori, rite ac rationabiliter permutationem fecimus cum vinea dicta der Schrammenberg —. In cuius vineae — quae communi aestimatione valuit et pro octoginta sexagenis grossorum Missnensium tunc temporis vendi potuisset, et quae cum omnibus suis proventibus utilitatibus et pertinentiis ad mensam episcopalem perpetuo pertinebit, refusionem et recompensam vigore permutationis praedictae nomine concambii capitulo et fabricae supradictis censum et redditus infrascriptos, videlicet quatuor sexagenas grossorum Misnensium et decem et octo pullos in villis Preuda et Prizser^{a)} districtus Misnensis per magistrum fabricae, qui per . . praepositum, . . decanum et capitulum ecclesiae Misnensis praenominatae deputatus pro tempore fuerit, a censualibus et reddituariis subscriptis de bonis ac mansis eorum, quae et quos colunt et possident, necnon ipsorum in bonis eisdem successoribus annis singulis percipiendos, matura deliberatione praevia dedimus et assignavimus ac praesentibus damus et assignamus cum iudicio hereditario proprietatis titulo perpetuo possidendos, iudicio tamen supremo et precaria cum servitiis solitis in et super bonis ac mansis subscriptis eorumque possessoribus nobis et nostris successoribus omnimode reservatis. Quos siquidem censum et redditus etiam communi aestimatione octoginta sexagenas grossorum valentes praetextu permutationis antedictae ut praemittitur capitulo et fabricae ecclesiae nostrae saepedictae de expresso et concordii eiusdem nostri capituli beneplacito et consensu in ius et proprietatem ipsius liberaliter transferentes annectimus unimus et appropriamus ad certos usus in prioribus nostris litteris expressos iuxta dispositionem et ordinationem domini Nicolai Monetarii — distribuendos et dividendos, reservatione nostra superius tacta nobis et nostris successoribus salva permanente, vendicantes nihilominus nobis nostrisque successoribus ex translatione et resignatione capituli nostri nomine fabricae factis, plenum et perfectum dominium ac usufructum vineae supradictae ex causa permutationis praenarratae ad mensam episcopalem perpetuis temporibus spectandae et pertinendae, nullo penitus iure alicui alteri in dicta vinea et eius utilitatibus ac proventibus recognito seu reservato. Et ne successu temporis alicui in solutione census praedicti dubium oriatur aliquale, censitas seu colonos mansorum praedictorum praesentibus duximus inserendos. Primo de villa Preuda Henschzil

a) vgl. No. 607.